



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Natales Sanctorvm Candidissimi Ordinis  
Præmonstratensis**

**Sterre, Jean Chrysostome van der  
Antverpiæ, Anno M.DC.XXV.**

Mense Novembri Occvrrentivm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37161**


NATALES  
SS. ORD. PRÆMONST.  
MENSE NOVEMBRI  
OCCVRRENTIVM.

i. *Nouembris.*

QVARTO NONAS NOVEMBRIS.

**S**OLEMNITAS Omnim San-  
ctorum. Eodem die Com-  
memoratio plurimorum  
vtriusq; sexus ex Præmon-  
stratensi Ordine Sanctorum. Qui  
vocationis suæ grandis memores;  
voluntati diuinæ, quæ est Sanctifi-  
catio nostra, viriliter cooperati  
sunt. Et quia DEO h̄ic in Iusti-  
tia & Sanctitate veritatis placue-  
runt,

runt, CHRISTI<sup>Q</sup>; vestigia sunt secuti; ideo cum ipso regnabunt in perpetuas æternitates.



2. Nouembris.

### QVARTO NONAS NOVEMBRIS.

PRAGÆ in Bohemia in regali Cœnobio Montis Sion vulgo Strahow dicto, Commemoratio Ill.<sup>mi</sup> ac Reu.<sup>mi</sup> IOANNIS Lohelij Sanctæ memoriae Archiepiscopi Pragensis. Qui in Teplensi Cœnobio Candum Institutum amplexus, viginti sex annis Strahouiensis Ecclesiæ quadragesimus tertius Abbas extitit, Vir verè Apostolicus, qui collapsam Monasticam disciplinam in Bohemia, Morauia, Silesia, & alibi diui-

diuini honoris zelo succensus inde-  
fesso labore restituit. Postmodum  
Sebastianensis Episcopus & Pra-  
gensis Archiepiscopi Suffraganeus,  
ac demum ob insignem prudentiæ  
& virtutum famam ad Archiepi-  
scopalis dignitatis culmen euectus  
est, quam decem annis laudatissimè  
tenuit, & Apostolicis virtutibus de-  
corauit, pauperum & egenorum  
singularis benefactor: denique mul-  
tis & magnis Cœli fauoribus affe-  
ctus, cum suis & vniuerso gregi plu-  
rimis Sanctitatis exemplis præluxif-  
set, hoc ipso Commemorationis o-  
mnium fidelium Animarum die  
anno M. D. C. XXII. p. iijssimè in Domino  
obdormiuit: factusque est in pace  
locus eius, & habitatio eius in San-  
cta Sion.

M. H. J. V. 1510. 105

O No-

3. *Nouembris.*

**TERTIO NONAS NOVEMBRIS.**

**V**IRODVNI in Cœnobio S. Pauli,  
Natalis B. ALBERONIS Virdun-  
ensis Episcopi. Qui cùm Episco-  
patum suum quām laudatissimè  
pluribus annis administraſlet, Can-  
didi Ordinis fautor & promotor  
egregius, eumdem Episcopatu ab-  
dicato, in eodem S. Pauli Cœnobia  
Canonicus-religiosus factus, san-  
ctissimè professus est; & diues bo-  
norum operum, ad cœlos migrauit.

10. *Nouembris.*


**QVARTO ID VS. NOVEMBRIS.**

**I**N Cœnobia S. MICHAELIS de Tre-  
uiño iuxta Villam Maiorem in  
Hispa-

Hispania, Obitus Sanctæ memoriæ DIDACI de Mendieta Abbatis Ordinis Præmonstratensis. Qui huius Ecclesiæ ultimus Abbas perpetuus; zelo religionis, reformationisque caussâ libentissimè cessit. Postmodum semel & iterum Candidæ religionis in Hispaniæ Regnis, generalis Reformator, aliquarum insuper domorum Abbas triennalis, Congregationisque Hispanicæ Visitator extitit generalis, Vir verè Apostolicus, humilis, obediens, religiosus & pius. Demū varijs exercitatus morborum molestijs cum admirabili patientia toleratis, cœlo semper intentus, diuinis Angelorum vocibus & concentu in terris recreari meruit: decessitque iam octogenarius cum tanta Sanctitatis

O 2 tis

tis opinione & populorum accus-  
su, quod plurimis vestium eius par-  
ticulas certatim abscindentibus,  
vix terræ mandari potuerit.



13. Nouembris.

### IDIBVS NOVEMBRIS.

**I**N territorio Hallumensi Cœno-  
bio Horti Mariani in Frisia, Nata-  
lis Beati Patris SIARDI eiusdem Ec-  
clesiæ Quinti Abbatis Ordinis Præ-  
monstraten sis. Qui à B. Frederico  
acceptum virtutum pallium, velut  
alter Helizæus immaculatum cu-  
stodiuit: exactisque in regimine  
triginta sex annis, præclaræ Sancti-  
tatis & meritorum gloria corusca-  
uit. Cuius defuncti tumulum infi-  
nita

nita propemodum decorarunt miracula, quibus & in vita Vir sanctus egregie illustratus fuit.

19. Nouembris.

DECIMO-TERTIO KAL. DECEMBRIS.

**A**LBÆ in Hispania Cœnobio S. Leonardi, Natalis B. DIDACI Albanensis Confessoris & Conuersi Ordinis Præmonstratensis. Qui sicut locum istum Sanctæ & cœlestis conuersationis decorauit insignibus; ita nunc eundem sacris Corporis sui (quod ibidem venerabiliter quiescit) Reliquijs exornat.

O 3 NATA-